



**Edictum Seren.mi Poloniae regis ad milites, ex quo causae
suscepti in magnum Moscoviae ducem belli cognoscuntur :
item edictum ejusdem de supplicationibus ob captam
Polociam habendis, cum epistola, qua ordines ad comitia
convocantur & rerum post captam Polociam gestarum
narratione : hisce adjecta sunt quaedam de Magni Moscoviae
Ducis genere, quod se nescio quae auctoritate ab Augusto
Caesare ducere jactitat**

<https://hdl.handle.net/1874/10110>

2

EDICTVM SE- REN.^{MI} POLONIAE RE- GIS A D M I L I T E S , E X Q V O C A V S A E S V S C E P T I I N M A G N V M Moscouiae Ducem belli cog- noscuntur.

ITEM

EDICTVM E IV S D E M D E S V P-
P L I C A T I O N I B V S O B C A P T A M P O-
lociam habendis: cum Epistola, qua Ordines
ad Comitia conuocantur: & rerum post
captam Polociam gestarum
narratione.



HISCE ADIECTA SVNT QVAE-
dam de Magni Moscouiae Ducis genere, quod se
nescio qua autoritate ab Augusto Cæsare
ducere iactitat.

COLONIAE
Apud Maternum Cholinum.

cl. Is. L X X X .
Cum Gratia & Priuilegio Cæs. Maiest.

EDICTVM RE
GIVM SVIRENSE, EX
QVO CAVSÆ SVSCEPTI
IN MAGNV M MOSCOVIAE
Ducem belli cognoscen-
tur. (.:)



STEPHANVS DE I GRATIA
Rex Poloniæ , Magnus Dux Lithua-
niæ, &c. exercitus sui cuiuscunque na-
tionis, atque ordinis militibus. Etsi
tanta & tam nota omnibus iniuria-
rum magnitudo est, quas Magnus
Moscouiæ Dux Regno nostro Polo-
niæ, Magnoque Lithuaniae Ducatui adhuc attulit, vt ar-
ma hæc, in quibus hoc tempore versamur, sera potius
cunctis, quam vel præpropera, vel non satis iusta cui-
quam visum iri arbitremur, tamen cum studium no-
strum satis expleri non possit, quo desideramus, vt quæ
suscepimus gerimusque, cum æquitate iustitiaque nos
suscepisse, iij penitius intelligent, ad quos causæ quæque
attinere videatur: faciendum nobis hoc in bello existi-
mauimus, vt exercitus nostri, cum eos non tantum ex
Regni nostri Poloniæ, Magniç; Ducatus Lithuaniae, ve-
rum etiam Germaniæ atque Hungariæ, alijsque natio-
nibus exteris compositos habeamus, certius vel recenti-
ora cognoscant, quæ inter nos, posteaquam Regni hu-
ijs nostri Principatum gerendum suscepissimus, &
Magnum Moscorum Ducem intercessissent: quæ qui-
dem istiusmodi sunt, vt facile pateat, nihil à nobis præ-
termissum esse, quod ad Principis Christiani officium,

E D I C T V M

ad vitandum Christiani sanguinis discrimen, ad consti-
tuendum ex æquitate cum eo hoste concordiam, perti-
nere posset: ab illo autem, quæ suscepta actaque sunt,
omnia cum hostilibus iniurijs coniuncta, & ad arcium,
ciuitatum, ditionumque nostrarum circumuentione
& detrimentum, nostrique nominis dedecus compara-
ta fuisse. Nos quidem simul ac in Regnum hoc nostrum
peruenissemus, vt cæteros Principes Christianos, partim
nostro, partim ordinum Regni nomine, ita etiam Mag-
num Moscouiæ Ducem de accessione dignitatis poten-
tiaeque nostræ, deque optima nostra cum eo etiam pacis
constituenda colendæque voluntate, fecimus per inter-
nuntios nostros certiorem. Et dederat verbis, nonnullam
tum significationem, mutuæ voluntatis atque stu-
dij sui erga nomen sanguinemque Christianum, & lite-
ras addidit, quibus ampliori alicui legationi nostræ se-
curitatem accommodabat, & peculiari epistola, quæ
etiamnum nostra in potestate est, confirmabat, scimpe-
rasse suis, vt dum mutuo inter nos per Legatos res age-
rentur, ab omni iniuria maleficioque in nostros absti-
nerent, exposcens, vt eadem ad nostros mandata dare-
mus. Etsi vero tam callidè hæc simulare non posset, quin
se etiam tum proderet, verbis in nomen nostrum iniu-
riosis, infestus illius erga nos animus, tamen cum eo se
vsque tantum iactaturam eius esse superbiam, in poste-
rum vero illum ad mentem meliorem, & publicæ pacis,
& suorum salutis curam aliquam reuocatum iri existi-
maremus, habita à nobis eius literarum confirmationi
fides est: pro qua quidem fiducia, & mandata nostris de-
dimus, vt cum Moscicis inducias diligenter conservarent,
& ad ipsum Moscouiæ Ducem, Legatos quām amplissi-
mos, Magnificum Stanislaum Kryski Masouïæ Palati-
num, Nicolaum Sapiha Palatinum Minscensem, ac
Theodo-

A D M I L I T E S.

Theodorum Skumin Curiæ nostræ Lithuaniae Thesauriū misimus. Quæ dum à nobis fiunt, ille violata promissi fide (qua nos inducti, tantum abest, vt ab eo, dum nostri ad illum Legati proficiscerentur, hostile aliquid pertimescendum putaremus, vt tuta nobis atque amica omnia polliceremur) subito nulla, aut renuntiatione induciarum, aut belli denuntiatione adhibita, cū exercitu ipse, adeoque una filius natu maior Liuoniam inuasit, ac fraude potissimum, & conspiratione adductis in potestatem subditis nostris, in libertatem, liberos, coniuges, vitam, ac sanguinem Christianorum hominū crudelissime flamma ferroque grassatus est, arcibus non nullis ditionis nostræ, dum extremis in finibus Regni nostri necessariò versamur, insidiosè occupatis: quo tempore, quæ illius in trucidandis per acerbissimos cruciatus captiuis truculentia, quæ flagitiosa in vexāndis honestissimis nobilissimisq; foeminis turpitudo, quam inexplibilis in hauriendo sanguine Christiano sitis, & in omni genere iniuriarum immanitas fuerit, commemorari satis non potest: & qui supersunt crudelitati, & modis aliquibus se ex illa acerbitate liberarunt, satis ista testantur. Accesserant iam tum Oratores nostri ad ipsos Moscouiæ fines, cum inexpectatum de his Mosci cœptis accipiunt nuncium, quo quidem permoti, ad fines Moscouiæ subsistunt, nosque faciunt de violata pace, de qua literis suis Magnus Moscouiæ Dux nobis confirmaverat, diligenter certiores. Etsi verò ab illo hæc fieri indignissime persiceremus, tam et adducti, studio consulendi Christiano sanguini, atque hæc sine maiori Christianarum vtrinque Provinciarum vastitate, atque incendio ad tranquillitatem & pacem reuocandi, mandata nostris Oratoribus dedimus, vt se nihilominus ad ipsum Magnum Moscouiæ Ducem conferre pergerent, & penitus,

E D I C T V M

nitius, quis illi pacis nobiscum colendæ sensus esset, explorarent, ablatas verò à Mosco eo tempore res, contra literarum fidem, vt repeterent, & quæ subditis nostris ab illo calamitas proximè allata esset, eam modis omnibus sarciri postularent. Quid tum verò? cum peruenissent Oratores nostri, ac Moscus agere cum illis per homines certos suos cœpisset, subito ad omnem superbiam, atque animi impotentiam descendit: Liuoniam noti modo ab omni pacificatione, verum etiam mentione facienda exclusit: nos dignitatemque nostram Regiam, ijs verbis atque scriptis, à quibus non modo Principem vi-
rum, eumque Christianum, verum quemuis etiam cuiusvis ordinis abhorrente quām maximè decet, acerbè violauit, in Regnum nostrum Poloniæ, Magnumque Lithuaniae Ducatum ius sibi arrogauit, idque vanissimis modis afferuit, dum à Prusso, nunquam inter mortales cognito aut nato (quem Octauij Cæsar is fratrem, generis vero sui auctorem fuisse contendit) orsus, ab eo se esse propaginem quartam decimam significauit: quibus quidem generis sui vanissimis deliramentis, sibi ius per quam absurdè in vniuersum Poloniæ Regnum, Magnūque Lithuaniae Ducatum, aliasque Prouincias vendicare instituit. Ad hæc omnia, cùm post multas variasque actiones, nostrorum Oratorum, cum Consiliarijs Magni Moscouiæ Ducis, quos eam ad rem designarat, de certa induciarum ratione conuenisset, nostrisque pro eo ac vtrinque conuenerat, suas de eo literas perscripsissent, & Magno Moscouiæ Duci tradidissent, ille suas, quas è conuerso daret, non (vt facere par erat) ad similitudinem literarum earum, quas Oratores nostri obtulissent, veritatemque mutuæ inter Legatos nostros eiusque Consiliarios conuentionis, sed ad arbitrium libidinemque suam ita perscripsit, vt inducias ad Liuoniam pertinere nollet

nollet, quinimò non modò eam sibi cum Curlandiaë
Ducatu, verum etiam quicquid nobis usque ad Prussiaë
fines ditionum est, (interest autem ipsi Lithuaniae pars)
cedi à nobis oportere significaret, quas suas literas ita
perscriptas, cùm in eas iusurandum dedisset, nostris O-
ratoribus per vim superbè obtrusit. Qua de re cùm nos
Oratores nostri ante suum è Moscouia discessum, face-
rent certiores, ad Magnum Moscouiae Ducem, ex auli-
cis nostris, internuncium misimus, Nobilem Petrum
Haraburdam, iterata cum testificatione propensionis
nostræ, colendæ cum eo pacis atque concordiæ, idque
rei Christianæ consulendi causa, qua quidem in testifica-
tione luculenter ostendimus, si commune idemq; utri-
usque nostrum iuramentum esse deberet, communem
eo iuramento inter nos atque omnes prouincias no-
stras pacem compræhendi oportere. Neque enim hone-
stati atque rationi congruere, si iusurandum, de pace
inter duos suscepimus, bellum quacunque de Prouincia
inter eos ipsos consequatur, quodque sanctissimum
concordiæ vinculum sit, in eo locus hostilitati relinqua-
tur. Conuenire præterea nobis, tanquam Principibus
Christianis, nos vt dictis factisque omnibus, ita maximè
religiosæ isti iurisurandi affirmationi, constantiam ad-
hibere. Curandum igitur esse, vt ne qua inter nos fidei,
recteque factorum nostrorum conscientiæ, vis afferatur.
Quæ nostra æquitatis optimique studij plena cohorta-
tio, tantum abest, vt ponderis aliquid apud Moscum ha-
buerit, vt internuntium nostrum, posteaquam admisit-
set audissetq; ne, à se longè remouerit, & in modum cap-
tiui diu inuitum retinuerit, cumque suos ad nos Lega-
tos misisset, in Liuonia, missis iā ad nos Legatis suis, arces
nostras, ac sigillatim Vendā bis oppugnauerit: Quod cū
per insignē facret iniuriā, effectū Dei p̄potētis beneficio

E D I C T V M

est, vt & exercitus ille, à nostris copijs, cum ad eas Suetica auxilia accessissent, deletus sit, & in potestatem nostram tormenta aliaque, quibus nostra oppugnabat, cuncta peruerterint. Sub id ipsum tempus Legatos Moschicos ad nos Cracouiam, in ipsum Regni nostri quasi domicilium atque sedem admisimus, cum eo tum loco, permagna propè vnde gentium Christianarum, frequentia hominum versaretur, Legati externorum Regum Principum atque nationum adessent: quorum in oculis, cùm eos audiendi causa ad nos in Senatum nostrum perhonorificè, vt fieri inter Principes par est, introduci curassemus, à fastu suo nostræque dignitatis contemptione orsi, ad explicanda, quæ haberent, manda, nulla cohortatione se passi sunt adduci, quod à Magno suo Duce præscriptum sibi esse significant, ne quæ apud nos verba facerent, nisi nos antè, quæ à nobis superbè atque ad derogandum dignitati nostræ, in quodam genere habendi sibi honoris flagitarent, præstitissimus: quod cùm nobis minimè committendum iudicassemus, neque illi à fastuosa pertinacia se deduci sinerent, et si iterum atque iterum ab illis, vt dicerent, contendetur, indicatis rebus è Senatu nostro, atque adeò Cracouia discesserunt, atque ita re villa non modò non confecta, sed ne affecta quidem dicive ab ijs coepta permisimus, vt se in Moscouiam referrent. Quæ omnia, vt perspicuè testantur, quale nostrum extiterit suscipiendè cum hoste illo concordiæ pacisque studium, quod consulendi sanguini ac tranquillitati Christianæ desideriū, ita ostendunt planissimè, Magnum Moscouiæ Ducem eò potissimum incumbere, hoc agere, huc omnes sensus conatusque suos conferre, vt nobiscum hostilibus iniurijs perpetuò dissideat, & cùm ditionibus nostris, tum nomini amplitudinique nostræ modis omnibus dero-

A D M I L I T E S.

derogatum velit. Misit ad nos postea per Nuncium suum literas, quibus à nobis postulat, vt in ea induciarum verba, quæ citra Oratorum nostrorum assensionem perscripta ostendimus, iuriurandum daremus, Legatis suis redeundi ad se potestas fieret, & si visum nobis esset, Oratores ad se iterum mitteremus, qui de Liuonia secū agerent. Quām autem & ab equitate, & ab officio dignitate teque nostra alienum sit, ad ea nos iureiurando descendere, quibus non modo assensum nullum vñquam accommodauimus, sed de quibus nos cogitationem aliquam suscipere non oportere intelligimus, quis non perspiciat? Qui enim nos eius crudelitati Liuoniā, Curlandiæ Ducatum, ditionesq; alias nostras, quæ Lithuanici iuris intermediæ inter Liuoniā & Prussiæ fines sunt, permettere possimus, quæ nobis pro Regio nostro Sacramento, quod in nostra Regni inauguratione verbis solennibus dedimus, omni fide, cura, conatu tuenda, & ab aliena potestate, vitæ etiam nostræ discrimine defendenda intelligimus? quod quidem officium nostrū, vt nobis antiquissimum commendatissimumque semper fuit, ita alienæ ab eo voluntatis significationem nullam vñquam dedimus, neque de ea Oratoris nostri quicquam polliceri potuerunt, atque adeò constat, minimè pollicitos esse. Nam quæ illi in verba cautionis suæ de inducijs perscriptæ iurarunt, ea ab omni istiusmodi concessione longè remota sunt. Quæ verò non modò pacis inter Principes feriendæ, sed inter priuatos etiam conventionis alicuius ineundæ ratio, quæ vis, quæ necessitudo esse possit, vbi res alterius cupiditate atque arbitrio geratur, alterius non modò nulla consensio voluntasq;, sed ne quidem suscepta aliqua cogitatio accedat? non vtrinque voluntatibus ad consensionem adductis, & literis non tantum sententiarum, sed propè verborum

B

omni-

E D I C T V M

omnium similitudine perscriptis, negotium administretur? Quod quidem ita administrari & solere & oportere, hunc ipsum hostem nostrum fugere haudquaquam potest, vt non iuris æquitatisque memorem, at ea tantum recordantem, quæ in fanciendis inducijs, & pace ferienda, inter Serenissimos Prædecessores nostros, atque eius maiores, adeoque cum illo ipso, antehac suscepta atque usurpata fuerunt. Neque verò minus, quam superiora illa & hoc iniquum est, quod Magnus Moscouiæ Dux, nos in literarum suarum verba iurare voluit: quæ quidem literæ, etsi ex voluntate atque consensione vtriusque nostrum, ac literis Oratorum nostrorum congruerter scriptæ fuissent, tamen vt ille in cautionis suæ formulam iurasset, ita nos in nostram iurare conueniret: tantum abest, vt à nobis in eas literas iusurandum rectè possit exigere, quæ ab ipso pro arbitratu suo perscriptæ, ab animi nostri sententia, mandatisque nostris, & Legatorum nostrorum assensu, plurimum dissident. Quæ omnia quam plena iniuria dolique fuerint, quis non facillimè perspiciat? cuius quidem doli studia, ex eo se etiam ostendere, quod quæ communicata, gesta, actaque inter Oratores nostros, & eos, quibus agendi cum nostris Moscouiæ Dux negotium dederat, quæque ab ipso Duce constituta fuerant, Legati eius, cùm ad nos Cracouiam venissent, profiteri atque explicare minimè voluerunt. Ad has verò omnes fraudum technas, mox armata vis, apertæque iniuriæ accesserunt, cùm non modò Liuoniam assiduis direptionibus ac bello infestum habere Moscouiæ Dux non desineret, verùm etiam in finibus Vitebscensibus, in ipsa Magni Ducatus Lithuaniae ditione, propugnaculum nuper collocaret, ac per suos rei militaris Præfectos, illis etiam locis, subditos nostros trucidaret alios, alios crudelissimè diriperet, se denique

AD MILITES.

maximis delectibus habitis, magis magisque contra nos armaret: qua quidem de re, cum non modo ad nos Illustris Curlandiæ Ducis, & Rigenium, simul etiam nostrorum in Liuonia præsidiariorum, quotidiani nuncij ac literæ peruenirent, sed summa etiam imploratio opis defensionis que nostræ accederet, nullo modo debuit potuitque belli administratio diutius à nobis differri. Proinde iustissimis istis grauissimisque causis adducti, repudiandas minimeq; iuramento nostro confirmandas Mosci literas, de inducijs, ab ipso arbitratu suo prescriptas nobis esse iudicauimus: quinimò ipsas in Moscouiam ad Magnum Ducem, expositis quibus id faceremus de causis, per internuncium nostrum remisimus, ac hosti illi bellum iustum legitimumque indiximus, cum iam tum ille maximas contra nos copias ad Plescouiam coactas haberet. Quod ad Oratores attinet, quos remitti postulauit, et si qui neque literas, quibus fidem legationis suæ facerent, nobis reddiderint, neque ullam legationis partem explicarint, exploratorum potius quam Oratorū loco haberi à nobis meritò potuissent, tamen quod Oratoribus nostris in Moscouia significatum intellexissemus, Legatos eos ad nos missum iri, nihil illis in omni genere & honoris habendi, & lautia conferendi vlo loco ditionum nostrarum deesse suimus, permisimusque, ut quod facere obstinauerant, nullis rebus apud nos expositis, se in Moscouiam referrent. Quod verò postulabat, vt nostros Oratores, qui de Liuonia agerent, iureiurando prius in eius literas de inducijs dato, iterum ad se mitteremus, non perspicimus, quid agi de Liuonia per Oratores possit, si antè iurati in eius conditiones (quod exposcit) non tantum de Liuonia atque Curlandia, verum etiam parte nostrarum Lithuaniæ ditionū, quæ mediæ Curlandiam

E D I C T V M

ac Prussiam dirimunt, decederemus. Minime igitur nobis committendum esse intelligimus, vt noua legatione, nihil aliud, quam Prouinciarum nostrarum iacturā, ac nominis nostri indignitatem aliquam incurramus. Intelligi atque adeò cerni arbitramur, quale nostrum fuerit studium, vitandi omnem Christiani sanguinis profusionem, quod nostrum pacis tranquillitatisque desiderium, pro quo quidem nos, ijs rationibus, quæ supra expositæ sunt, experiri pacis conciliationem cum hoste illo contendimus, atque omnia indignitatum genera, quæ Maiestati nostræ Regiæ ab Magno Moscorum Duce allatæ essent, libenter tranquillitati publicæ atque saluti, sanguini, fortunisque hominum Christianorum condonauimus: verum his nostris omnibus studijs ad concordiam pacemq; propensis, tantum abest, vt quidquam ab eo æqui bonique consecutissimus, vt ille hoc magis effrenata superbia atque impotentiæ animi sui indulserit, & quæ ad contumeliam nostram, nostrique Regni & Magni Ducatus Lithuaniae detrimentum pertinere possent, susceperit. Cui quidem rei, vt modum aliquando finemque sponte sua facturum illum desperrimus, facit inueterata iam perpetuaque eius cum Serenissimis prædecessoribus nostris simili genere agendi ratio, quam quidem ex ea iniuria æstimate licebit, qua Diuum Sigismundum Augustum Serenissimum prædecessorem nostrum affecit, cum missos ad se ex ordine Senatorio splendidos Oratores, Palatinum Inoulaflauensem, & Castellanum Samogitiensem contumeliosè tractauit, & modis indignissimis contra gentium iura violauit, hominem Nobilem ex Serenissimi prædecessoris nostri aulicis spoliauit, & cum res quasdam preciosiores inspiciēdi causa accepisset, superbè retinuit, mercatoribus qui vna venissent, magnam mercium vim eripuit,

AD M I L I T E S.

puit, equos in Oratorum illorum conspectu productos ferro dissecari curauit: à qua indignitate vindicanda, cùm Diuum illum antecessorem nostrum mors (quæ breui subsecuta est) exclusisset, nos per Oratores nostros postulauiimus, vt iniurias eas id temporis illatas, sarcire studeret, cui quidem postulationi nostræ, nullum animus eius, iniuriæ pertinacissimus, reliquit omnino locum. Quid illa, quæ Serenissimo antecessori nostro Henrico Regi per literas de pace vtrinque retinenda promiserat? & contempta promissi fide, non ita multò post capita Pernauia, alijisque Liuoniae arcibus in potestate suam redactis violauit? Qua quidem fidei vanitate, maiores etiam eius erga Serenissimos prædecessores nostros prope omnes viros esse perspicimus. Neque enim obscura est plurium, qui ista verè memoriarum prodidere confessio, & maiorum istius Ducis Moscouiae literis, quæ in tabulario Magni Ducatus nostri Lithuaniae seruantur, comprobari potest, quām sèpè Magni Moscorum Dukes Serenissimis Poloniæ Regibus, pace suscepta, ac iurisfundi religione sancta, ad tranquillitatis fiduciam adductis, & contra barbaros nominique Christiano infestos populos bella gerentibus, fidem impiè fregerint, pacta omnia violauerint, & redintegrato bello, vel à necessaria prædecessores nostros contra Ethnicos defensione, vel pulcherrimis pro Repub. Christiana cœptis reuocarint, & obsistere suis iniurijs coegerint. Quorum maiorum in dictis factisq; inconstantiâ, fraudem & insidias, hic Ioannes Basilij filius, hostis noster, non modò omnem in se admisit, verum etiam auxit, idque tum maximè egit, cùm literis missis ad Diuum Sigismundum Augustum Serenissimum antecessorem nostrum, de securitate Oratoribus præstanta, qui ad se de pace concilianda mitteretur scriptis, subito Polociam inuasit, occupa-

E D I C T V M

uitq; , consimili fraude erga nos vsus , cùm postea quàm nobis fiduciam pacis attulisset , repente Liuoniam armis oppugnauit , & tamen nos , Regnum nostrum Poloniæ , Magnum Lithuaniae Ducatum à defensione eius Prouincia excludere instituit . Quandoquidem igitur spes nulla nos tenere amplius potest , ad mentem fidemque meliorem Magnum Moscorum Ducem se vnquam recepturum esse , quinimò iniurias veteres recentioresque nouis quotidie magis magisque accumulet , certæ pacis fiduciam nullam affractat , omnia ad nos circumueniendum derogandumque cùm nomini tum ditionibus nostris suscipiat , nos adhibitis atque adeò consumptis omnibus studijs nostris , quibus fida atque æqua inter nos pax conciliari , & rei sanguiniique Christiano cōfulti posset , expleto iam omni officio Regis Christiani , hanc rem & Deo præpotenti , oculis hæc suis iustissimis aspicienti , & legitimæ vindicationi permittendam iudicamus . Quo nomine remissis illis insidiosis induciarum literis , bellum iustum legitimumque , Ioanni Basilijs filio , Magno Moscorum Duci denunciauimus : quo bello multiplicem nobis , cùm ab ipso Magno Moscorum Duce verbis literisque , tum ab eius Legatis factam contumeliam , allatasque subditis nostris acerbissimas multis iam annis iniurias , & detrimenta omnia , quæ Regnū nostrum Magnusque Lithuaniae Ducatus accepit , armis propulsare & vindicare in animo habemus . Ut verò perspicuum sit omnibus , nos ad eorum , qui Magno Moscorum Duci parent , hominum Christianorum calamitatem aut sanguinis profusionem minimè ferri , declaramus nos ita armis nostris moderaturos esse , vt ne ijs (quanta maxima cura ac studio caueri poterit) quisquam violetur , qui non aut in præsidijs , aut acie suo periculo propagandas hostis nostri partes suscepereit . Nam vt ab

A D M I L I T E S.

vno Magno Duce causas omnes, quibus in arma hæc impellimur, profectas esse intelligimus, ab vno nos honorem dignitatemq; nostram oppugnari, ac Prouincias nostras illius vnius libidine appeti ac fitiri perspicimus: ita in vno illo vindicare omnia, vnius refrenata audacia grassandiique atrocitate, in posterum tranquillitate publicæ pacisque Christianæ (si fieri vlla ratione posset) consulere desideramus. Quæ cùm ita sint, spe vel potius fiducia magna sumus, & Deum Opt. Max. quod bellum grauissimis iustissimisque, atque adeò pernecessarijs de causis iniuiimus, nobis, exercitibus nostris, ac Reipub. vniuersæ, quam obtainemus, benè & fœliciter fortunaturum esse, & Principes Christianos, adeoqué omnes homines, qui ista accipient, facile arbitraturos, nos ad bellum hoc permagnum non temerè neq; vlla profundi sanguinem Christianum (cui prodesse, consulere, cauere semper studuimus) cupiditate ferri, sed ad ea hostilibus tot temporum per summam atrocitatem crudelitatemque exercitis iniurijs impelli, nostra dignitate, & Regni nostri Magniique Lithuaniae Ducatus, cæterarūque Prouinciarum nostrarum statu, & subditorum nostrorum salute, fortunis, vita, sanguine, quem hostis ille truculentissimus iā nimiū diu immaniter hausit, necessariò cōmmoueri, cōfilio iudicioq; omniū Regni nostri Magniique Lithuaniae Ducatus ordinū duci, deniq; nos fidā stabilemque tranquillitatem, & publicā inter populos Christiani nominis pacē concordiaq; spectare. Quæ quidē belli nostri causæ, quæq; animi consilijq; nostri ratio, et si de militū nostrorū studijs, alacritate, fortitudine, fide, nobis dubitationē nullā reliquit: hortamur tamē, vt animū ad res nostro ductu in hostē hunc nostrū gerēdas magnū fortēq; adferāt, existimētq; & glorie. & fœlicitatis summā in eo potiss. versari, si pro tā iusta honestaq; causa

E D I C T U M

dimicetur: subditi nostri diuturnas grauesque iniurias
hostiles, vel à se vel ciuibus suis adhuc perpessas, hoc
tempore pro more, virtute, rebusque gestis maiorum
suorum, & vindicandas & in omne tempus sibi depel-
lendas statuant; extranei pro vicinorum salute, suam in
discrimen vocare, fortissimeque armis contendere pul-
cherrimum, necessitudini quæ vicino ad vicinum est cō-
uenientissimum, & delere proximi parietis incendium,
suæ suorumque securitati vtile existiment: omnes sibi
tam iusto in bello summa fortium factorum studia esse
adhibenda iudicent: quorum hoc maior laus atque glo-
ria, quemque consequetur, quò in grauiore hoc maio-
reque bello contra crudelēm vniuersi propè generis hu-
mani hostem nobiscum versabitur. Nos profecto cuius-
que militum nostrorum virtutem, fidem, operam, co-
natum in omni genere præclarè factorum, ea beneuo-
lentia, gratia, munificentia prosequemur, vt neminem
gestæ abs se fortiter rei pœnitateat, omnes intelligent, nos
cuiusque industriae, fidei, fortitudini sua præmia
ornamentaque libenter tribuisse. Suiri die
duodecima Iulij. Anno Domini, M. D.

LXXIX. Regni verò nostri

Anno Quarto.

E D I C

EDICTVM RE-
GIVM DE SVPPLICA-
TIONIBVS O B C A P-
tam Polociam.

STEPHANVS DEI GRATIA
Rex Poloniae, Magnus Dux Li-
thuaniae, &c.

VNIVERSIS & singulis, Reuerendissimis, Reuerendis, Magnificis, Generosis, Regni nostri Consiliarijs, Dignitarijs, officialibus, nobilibus, atque alijs ordinibus omnibus, sincere & fidelibus nobis dilectis, gratiam nostram Regiam. Reuerendissimi, Reuerendi, Magnifici, Generosi syncerè & fideles nobis dilecti. Quod superioribus proximis omnium Reipub. Ordinum comitijs decretū fuit, vt bellum hoc anno contra Magnum Moscorum Ducem administra remus, curæ nobis pro Regio nostro munere, nostroq; in Rempub. studio esse suimus: & contractis exercitibus nostris, comparatoque aliquo, partim contributionum pecunijs, partim (quod contributionum pecuniæ minime satisfacerent) alijs rationibus belli apparatu, extrema Iunij die Vilna ad copias nostras recensendas lustrandasque Suirum discessimus. Quo quidem in loco, multa nos diligensque deliberatio tenuit, quorsum nos potissimum cum exercitibus nostris in hostem conferremus, quidque rectissimè, & quam maxima cum vtilitate Rei-

C

pub.

EDICTVM DE

pub. nobis ante omnia, bello aggrediendum esset. Rebus verò omnibus in accuratam considerationem vocatis, ex iudicio & Senatorum nostrorum, & aliorum militarium virorum, qui nobis aderant, eam tandem in sententiam descendimus, vt primam nostrotum armorum vim, ad Polociam oppugnandam conferri oportere concluderemus: quod quidem ea arx ceruicibus Magni Ducatus nostri Lithuaniae, atque adeò ipsi ciuitati nostrae Vilnensi, nulla alia firmiore munitione interiecta immineret, ex qua arce, nobis in alijs remotioribus Regni locis occupatis, oblata occasione summam non modò Lithuaniae diripiendæ, sed Vilna etiam adorien-dæ, facultatem hostis habiturus videretur. Faciendum præterea necessario nobis visum est, vt cum bellum hoc, non modò rerum communis Reipub. recuperandarum causa, sed hostem quam longissimè remouendi, grauiusque coercendi gratia susceptum habeamus, expediti-onibus nostris, in his potissimum regionibus, maxima anni parte, aut frigoribus grauissimis, aut imbribus assi-duis militiae infestis, tum quoque ob vastitatem difficilimis, propinquiorem aliquam sedem & quasi officinā, quam ipsa Vilna esset compararemus: ex qua quidem officina, quam maxime integrum recentemque militem, penitus in solum hostile ducere, & belli instru-menta impedimentaque, minore cum negocio ad res cum celeritate fœlicitateque gerendas transferre posse-mus. Quanta enim cum difficultate ac detimento, Vil-na illud facturi essemus, breui hoc itinere, quo cum ex-ercitu nostro pgressi sumus, magna nostra cū molestia cognouimus. Accesit & illud, quod hac arce, (qua fir-miorē maioremq; Moscus nullam habet, expugnata, de alijs retinendis hostem cō magis diffidere, & occupādis militē nostrū sperare doceremus. Tantū verò absuit, vt

nos

S V P P L I C A T I O N I B V S

nos èd deterreri oportere iudicaremus, quòd locus ille ab omni opere belliq; apparatu firmissimus esse perhibetur, vt hoc potius de principio nobis, recentibus militum nostrorum viribus animisq;, quàm ijs militiae diuturnitate afflictis tentandum existimauerimus. Cùm igitur nihil factu potius vtiliusque iudicatum eset, nos factis ab inuocatione copiis diuinæ auspicijs, Suiro primùm illustrem Nicolaum Radiulum Palatinum Vilnensem, cum aliquib; equitum peditumq; Lithuanorum copijs, & certo Vngarorum numero, cùm Generoso Gasparo Bekes, Polociam præmisimus, itinerum claudendorum causa, ne quid à Magno Moscorum Duce præsidij accederet: quo etsi maioribus itineribus in magna etiam viæ difficultate peruenisset, tamen cum iam antè nostras ad hostem literas misissimus, quibus bellum ei diligent cum explicatione causarum denunciauimus, biduo antequām nostræ illæ copiæ ad Polociam accessissent, equitum & peditum aliquid ab hoste in arcem immisum fuit: adhibita verò à Palatino Vilnensi, posteaquam propinquo ad arcem loco consedisset, ea diligentia est, vt pòst nullius subsidij hostilis accessio facta sit. Nos cum exercitu nostro, & tormentis impedimentisq; bellicis, in summa viarum iniquitate, quam pluuiarum assida magnitudo, & istorum agrorum natura effecit, minoribus itineribus subsequuti fuimus: interea à copijs nostris, quæ præcesserant, arces tres, Cosiana, Crasna, & Sithna per excursionem celeriter occupatae & incendio deletæ sunt. Undecima Augusti die, proximè Polociam cum copijs omnibus nostris mouimus, & propinquo ad moenia loco castra metati sumus, arcē ciuitatemq; trib⁹ locis obsidione cinxim⁹, eadēq; die locis omnib⁹ munitiones fossasq; ppi⁹ hostē agere iussimus. Postridie ciuitatem, nō mediocriter fossis, & aggere, &

E D I C T V M D E

propugnaculis, & parietibus densissimis, tum quoque præsidio firmam, ea maxime de causa, quod illo loco nos à propinquiore ad arcem accessu prohiberet, incendimus, ac totam paucis horis delevimus. Tum longius munitionibus nostris ad ipsas arcis portas promotis, omni conatu in arcem expugnandam incubuimus. Ostenderat vi sua præpotens Deus, in manu sua rerum gerendarum potestatem esse, & assiduas pluuias pluribus diebus ita immiserat, vt & operæ militum maiorem in modum impeditarentur, & oppugnandi ratio etiam atq; etiam retardaretur: constitit tamen militi nostro in maximis etiam incommodis singularis animorum ad omnia obeunda tollerandaque ardor, sic vt in summa pluuiarum iniquitate, altissimoque luto nihil prætermitterent, quæ ad oppugnandum pertinere possent, hostibus contra omnes nostros conatus acerrimis animis, & incredibili tormentorum vi, ita dies noctesque propugnatibus, tanta peruvacia, & flamas à nostris illatas extinguentibus, & vim omnem depellentibus, vt se tormentorum telorumque nostrorum iniurijs certatim offerrent, & succumbentibus alijs alij confertim succederent, ostenderentque, Moschos arcium defendendrum vi atque ardore cæteris omnibus gentibus antecellere. Respexit verò tandem nos sua benignitate clementissimus Deus, concessitque, vt quæ prima nobis paulò senior dies vicesima nona Augusti illuxit, ea incendium à milite nostro arci illatum sit, summa cum contentione atque discrimine, cum se miles noster in fossas dimittere, & Polottam flumen superare, deniq; arduum clium cui impositum propugnaculum erat subire, & manibus materiam ignemque inter infestissima creberrimaque hostium tela inferre necesse haberet: quod incendium cum vehementius exarsisset, & munitionis anterioris

S V P P L I C A T I O N I B V S.

terioris aditum aliquem patefecisset , teneri militum nostrorum ardor non potuit, quin per ipsam flammatum irrumperet, atque hostem feriret, à quo tamen cœpto, cum propugnatione hostili, tum maximè flammæ vi reiectus est, paruo cum nostrorum, neque amplius virginis septem desideratis, pluribus tamen vulneratis , hostium verò ad ducentorum interitu. Dederat aliquam hostis eadem die deditiois significationem, quam non seriam fuisse animaduersum fuit, cum nouis se munitionibus, flammæ altitudine nostris conspectum eripiente, circumdare deinceps cognitum esset. Nulla igitur cum intermissione oppugnationis vim omnem adhibendā, nullum hosti quiescendi, aut se firmiter muniendi spaciūm concedendum iudicauimus , posteroque die ignem in alias munitionis partes miles, in quo equites etiam erant, qui missō equo in pedes descenderant, intulit: quo cum iterum aliqua muri pars deleta esset , & cliuum in quo propugnaculum antea igne absimptum erat miles tenuisset, ac deinde ad latus hostilium fossarum ac munitionum illa parte deleta tumultuario opere factarum, fossas ac munitiones ducendo præsidiarios circumuire ferre coepisset, atque sic in potestate hostis esset, nos & sanguini Christiano parcendum , & operam dandam rati, vt arce quam maxime integrā cum tormentorum aliorumque belli instrumentorum apparatu potiremur, quæ hostis ipse ad extreum inieicto igne delere posset, facta omnibus vitæ gratia permisimus, vt qui nobis militare vellent (quorum quievint magnus sanè est numerus) fortunas omnes suas incolumes conseruarent, atq; stipendia nostra mererent: quibus redeundi in Moscouiam animus esset, id nobis permittentibus, atque omnem securitatem præstantibus facerent. Cyprianus Archiepiscopus Velicolucensis Græci ritus, à quo & Polono

E D I C T U M D E S V P P L I C A T.

censem Episcopatum coniunctim administrari Moscus
voluit, & Palatini Basilius Iuanouicz Mikolinski Tela
tovvski, Demetrius Michalovicz Sczerbati Obolinski
Matthæus Iuanovicz Rzovvski, Iuān Hrehoroviz Suſin
Petrus Iuanovicz Volinski, Lukian Tretiakov Rakov
filius scriba, qui partim præsuere, partim in arce fuere,
cum se spontededere, ac gratia noſtræ permittere nol-
lent, captos in custodijs habemus, & arcem ipsam præsi-
dio noſtro immisso iam obtinemus. In qua quidem ar-
ce, qui eam defendiſſent, & arma tulifſſent, vltra ſex mil-
lia fuifſe compertum eſt. Noſtri cum ingressi eſſent paſ-
ſim magnum cadauerū inſepultorum numerum repe-
rerunt, tum tormentorum ac pulueris tormentarij glo-
borumque tantam vim depræhenderunt, quanta in arce
aliqua Christiani orbis his rebus inſtructiſſima poſſet
reperiri. Quos quidem rei geſta successus, vt imprimis
ad Deum præpotentem referimus, ita illi ſumma animi
pietate agimus gratias, ac sync. & fidel. veſtras hortamur,
vt eaſdem pro bene geſta Repub. agant, ſimul etiam cō-
precentur, vt quæ gerenda ſupersunt, quæque in hostem
hunc deinceps etiam uſcipiemus, itidem clementiſſime
fortunare dignetur. Quod illum pro ſua benignitate, &
cauſe quæ hæc nobis arma induit bonitate facturum
confidimus. Nos quidem ad res pro communi Repub.
gerendas, omne animi ſtudium, curam, laborem, ope-
ram, ſanguinem, adeoque vitam noſtram cupidè ſemper
prompteque afferemus. Datum ex arce noſtra Po-
locensi, die ultima mensis Auguſti, Anno
Domini, M. D. LXXIX. Regni ve-
ro noſtri Anno Quarto.

Stephanus Rex ſubſcrip.

E P I S T O.

EPISTOLA, QVA ORDINES AD REGNI Comitia conuocantur.

STEPHANVS DEI GRATIA
Rex Poloniae, Magnus Dux Lithuanie, &c.



A G N I F I C E syncere dilecte, posteaquam superiores proximas nostras ad syncer. vestram, & ceteros Regni nostri Consiliarios de capta Polocia, alijsque rebus gestis literas dessemus, facta maior etiam haec eorum nostrarum accessio est, ut cum Vilnen. Capitaneus cum nonnullis nostrorū militum Turrovlam, ad arcem in Dinæ ripa sitam excurrisset, & hosti conspicienti opinionem attulisset, copias vniuersas nostras oppugnandi causa accedere, præsidium omne hostili metu perculsum, se per auersam portam arce, ac Palatio arcis deserto, fuga eripuerit, quo pacto arce ea integrè potiti sumus. Misimus eodem tempore Magnificum Palatinum Podoliensem cum copijs Sokolam oppugnatum arcem quinque miliarium interuallo Polociæ imminentem, & magnuni præsidium ex ijs copijs tum habentem, quæ cum Polociæ à nobis circumfessæ subfido missæ essent exclusæ à nostris ab accessu, illo loco cōfederant. Quam quidem ad arcem cum nostri castris positis ac munitionibus actis accessissent, eam ad vndeclimam huius mensis diem globis cudentibus in-

E P I S T O L A

flammarunt, è quò tanta subito incendij vis extitit , vt dum hostis per ipsas flamas acerrime pugnaret, atque eruptionibus in nostros impetum faceret , nostri rem fortissimè contra hostem gererent, arcē vniuersam flam-
ma complexa sit, planeq; deleuerit. Hostem igitur(qua de re maximas Deo præpotenti gratias agimus) toto prope agro Polocenſi arcibus ac munitionibus omnibus exuimus , Suffa excepta , quæ quidem arx proprius Lithuaniae sita cum sit, longiusq;ne iam ab hostis nostri ditione absit , excluso subsidio aditusque Moscorum sponte in potestatem nostram ventura videtur , vt vis nulla adhibeatur. Omnibus rebus bene fœliciterque Dei benignitate confectis , et si permagno continuandi nunc nostrum rerum gerendarum cursu , & penitus nulla cum intermissione in solum hostile penetrandi studio ferimur: tamen cum temporis iniuria, quæ (vt his locis grauissima & iniquissima est) exercitus nostros plurimum afflixerit, & equos in primis partim vehementer enerauit, partim extinxit, tum quoque neruorum nostrorum tenuitas, quorum in longius tempus nobis du-
cenda ratio est, id nos facere non finant, curandum nobis existimauimus , vt relictis quibus opus est in locis, iustis præſidijs nostris, copijsque dispositis, quæ & irrup-
tiones hostiles prohibeant, & milite iumentisque refec-
tis hostis ditiones per occasiones subinde inuadant,
comitia omnium communis Reipub. Ordinum habeamus; in quibus quomodo, quibusque neruis ac viribus in posterum res bellica, & ad summam rerum finemq; optabilem producenda sit, deliberatio ineatur, & quod in rem erit communem concludatur. Neque enim si ea cuique quam estē decet in patriam charitas est deserenda proiiciendaq; hec fœlicia copta sunt, quę vt Ordinum omnium consensio antecessit, ita eam fœlicitas comita-
ta

AD ORDINES CONVOC.

ta est, & clementis itidem fortunati in posterum etiam
consequuntur videntur. Non enim dubitanter speramus
facturum Optimum Maximumque Deum, ut his locis,
quaes hostis firmissima potentiae suae propugnacula ha-
buit, iam expugnatis, adituque ad alia omnia patefacto,
in magna hostili trepidatione & metu (qui quidem Ma-
gnūm Moscouiæ Ducem et si numerosos ex omni gene-
re hominum exercitus habeat, nusquam se nobis offe-
re, aut obfessis suis subsidio esse sinit) breui fœliciter cū
eo hoste debellari, & res ad exitum optatum adduci
possit. Deliberandum igitur erit, dandaque opera, ut re-
rum deinceps gerendarum ratio, vires atque nerui con-
stent, aut abicienda omnis Reipub. cura fuerit: quod
quidem nostra negligentia nunquam accidet. Hoc verò
ocius indicēda nobis comitia esse iudicauimus, ne quid
temporis ijs habendis nobis eripiatur, quod agendo po-
tius, quam consulendo consumendum sit: cum potissimum
sciamus, Magnum Moscouiæ Ducem post D. Ni-
colai Festum in primis suscipere aliquid, & bella sua ad-
ministrare solere. Ut igitur mature nobis Consiliorum
nostrorum ratio constet, & quid nobis in longius tem-
pus expectandum, agendumque sit, intelligamus, & ma-
iorum consultationum cura vacui tempestiuè iterum
in res gerendas incumbere possimus, maturanda nobis
generalia Comitia necessariò esse iudicauimus, & ea
quidem ad diem XXII. mensis Nouembri indicimus,
ut Varsouia habentur. Etsi verò Senatores & nobilitas
Magni Ducatus Lithuaniae à nobis diligentissimè pete-
rent, ut in ipsa potius Lithuania hoc in belli actu, locis-
que in quibus bellum geritur, quam longe ab exercitu
nostro Comitia indiceremus, tamen nobis à constituti-
one, qua de loco Generalis Conuentus sancitum est, dis-
cedendum non iudicauimus. Videmus verò Magni no-

E P I S T O L A

tri Ducatus Lithuaniae ordines in istis Comitijs Vvar-
souia flagitatueros, vt si durante hoc Moscorum Magno
Duce bello, alia Comitia indici necesse sit, ea in Lithuania
haberi possint. Cum verò eam controuersiam, quæ
de tribus propè Comitijs suscipi & iactari, magnamque
grauioribus consultationibus perturbationem ac tar-
ditatem afferre solet, sublatam esse desideremus, consi-
derandum erit, quibus ea modis cum æquitate partium
vtrarumque concordia componi possit. Qua quidem in
re nullius iura minui aut violari, sed omnia ad publicam
consensionem referri cupimus. Est præterea opera nobis
danda, maximè dum bellum his locis cum Magno Mos-
corum Duce gerimus, vt ex alijs Reipub. partibus dili-
gentem finium & concordia cum finitimus curam ha-
beamus, pro qua quidem cura in Generalibus istis Co-
mitijs referendum nobis erit, quo modo eorum, qui in
finibus versantur, insolentia & pernitoso quævis auden-
di agendique licentia (de qua quotidianæ ad nos quære-
læ afferuntur) coherceri, & sanctione aliqua cum præsen-
tiore animaduersione coniuncta refrenari possit. Ad hec
cum nobis pro maritali cum Serenissima Principe con-
iuge nostra charissima coniunctione eius rationes curæ
esse oportere intelligamus, vehementer cupimus de re-
formatione dótis, cæterisque rebus ad eam pertinenti-
bus, certi aliquid in istis Comitijs constitui: quod quidē
vt fiat, pro maiorum nostrorum Serenissimorum Ante-
cessorum nostrorum in Rempub. communem tot tem-
porum meritis, Ordines operam daturos iudicauimus,
vt perspici possit erga tot optimorum Regum progeni-
em, gratorum animorum studia extitisse. Meminisse eti-
am sinceritatem vestram iudicamus, quæ terrarum no-
strarum Prussiae iam diu de iurium suorum violatione
quærelæ existant, de quibus considerandum esse diligen-
tius

AD ORDINES CONVOC.

tius iudicamus, quod istiusmodi querelas Reipub. minime prodesse, aliquando etiam maiori incommodo esse posse perspiciamus. Videndum igitur erit, vt in Comitijs finis aliquis istis querelis afferri possit. Neque enim terræ illæ contributionem illi parem, quæ proximis Comitijs scita fuit persoluunt, & de iudicijs pecularibus contra Constitutiones Regni suscipiunt. Deinde quia iam ante superioribus Comitijs de termino definiendo, ultra quem versus barbarorum ditiones hereditario iure conferri possessiones possint, constitutum est. Id etiam vt istis in Comitijs planè determinetur, atque ad exitum deducatur, publicè referre existimauimus.

Si quid etiam fuerit, quod ad nos pertinere videbitur, de eo cum Ordinibus benigniter agemus. Videndum verò in primis est, vt qui in bello hoc tempore contra hostem versantur, aut in posterum versaturi sunt, cum fortunas, valetudinem, sanguinem, vitamq; suam in discrimen pro Repub. vocent, interea eorum in iudicijs ratio habeatur: quod nisi fiat, intantum abest, vt supplementa nostrarum copiarum, exercitusque noui à nobis scribi, & confici possint, vt nec hic ipse miles, qui etiamnum sub signis est, permansurus esse videatur. Hoc itaque constituto, hortamur sinceritatem vestram, vt cognita hac nostra de Comitijs Generalibus conclusione, Nobilitatum Conuentus minores ad diem XX. Octobris Szrodensem, Generalem verò Kolensem ad diem tertiam Nouembbris obeat. Quo nos Legatum nostrum missuri sumus, qui nostrarum consultationum summam Nobilitati exponat. Operam verò det sinceritas vestra, vt Reipub. necessitatis nobilitati diligenter explicet, & eam ad studium erga communem patriæ dignitatem utilitatemque excitet: tum curet,

E P I S T O L A A D O R D I N I S

vt ad conuentum Generalem prudentes & moderati
animi consilijq; viri , plena cum facultate,ad concludē-
dum cum aliarum terrarum Nuncijs,alijsque Ordinibus
mittantur.Ipsa verò deinceps synceritas vestra matu're
ad constitutum Generalibus Comitijs diem Vvarouia
nobis adsit.Neque enim illum diem eximi rebus alijs si-
nemus, sed statim postridie eius diei, in quam Comitia
indicimus, quibus de rebus consultari oportere videa-
tur, Ordinibus more maiorum proponemus, ne per ne-
cessaria Reipub.negotia retardentur. His de rebus syn-
ceritatem vestram certiorem facere voluimus, quas sibi
pro officio suo diligenti curæ esse finat.Synceritatem ve-
stram recte valere cupimus. Datum Vvratislauia
die XXVI.mensis Septembbris.Anno Domi-
ni M D. LXXIX. Regni vero no-
stri anno I I I I.

Stephanus Rex.

R E R V M

RERVM POST CAPTAM POLOCI- AM CONTRA MOSCVM GE- starum narratio.



APT A Polocia, & iam ante in vici-
no arcibus tribus, Cosiana, Crasna, &
Sitna deletis, tres omnino arcēs Tu-
roulia, Socolum & Sussa in Polocen-
si ditione hostiles supererant, quas
hosti relinquere, neque ex belli suscep-
ti consilio, neque dignitate sua, ne-
que rei abs se gestæ fortuna Rex esse iudicauit. Turoulia
quatuor supra Polociam arcem miliaribus, ad Dhunam
flumen, quo loco illud Turoulia amnis illabitur, sita est,
sic ut duorum amnium confluxu maxima parte com-
prehendatur, quaque in continentem patet, inter utri-
usque præter labētis fluuij ripas, lacum transuersum, tan-
quam obicem, obiectum habeat. Quod inter Polocen-
sem arcem, atque inter Vlam, Vitescium, aliasque arcēs
& ciuitates, altius in Dhunæ ripis sitas, quæ semper in
potestate Regum Poloniæ retentæ sunt, media Turoulia
interesset, facile à Regijs castris ad Polociam positis,
commicatum exclusit, qui commodè ex locis superiorib-
us poterat importari: quæ res non mediocriter in ex-
ercitu anno næ caritatem atque adeò inopiam auxerat.
Qua de causa, circumessa primum Polocia, Franciscus
Zucus à Nicolao Radiuilo Palatino Vilensi, tentandæ
certis cum copijs per celeritatem rei causa ad arcem Tu-
rouliam missus est: Verùm quod & præsidio firmo, & de-

RERVM CAPTA POLOCIA

fensioni diligenter intente locus teneretur, & pauca minoraque belli tormenta Zucus secum traxerat, effici ex sententia nihil potuit. Socolam ab arce Polocensi quinque miliaribus ea via distantem, que Septentrionem versus rectissima Plescouiam dicit, duorum itidem concurrentium fluminum, Dryssæ & Nisciæ, complexus continet: ea in arce prater vetus praedium, quod tuendi Polociam aditus causa firmum semper inerat, Theodorus Basilij F. Seremetus, & Borissus Basilij F. Seinus, Andreas Palecius, Michaël Georgij F. Lycus, Basilius Criuoborsius Palatini, clari cum propinquitate Moscouiae Ducis alij, tum rebus antea gestis omnes copiarum Praefecti, cum Magno Moscouiticæ nobilitatis ac sclopetariorum numero confederant, posteaquam se ab aditu Polocensis arcis, primùm à Palatino Vilnensi obsecisis itineribus, mox ipsa obsidione Regia exclusos esse intelligerent: accesserat huc etiam Georgius Bullahacus cum duobus millibus sclopetariorum, partim Dunensium, partim Voliensium, qui ad Dhunæ & Volhiæ fontium paludes ob perpetuas cum Tartaris dimicationes, ceteris belli vsu ac iaculandi peritia facile præstant. Quod hi omnes magno discrimine nostrorum ex propinquo castris imminerent, dum oppugnatur Polocia, Lithuaniae quedam copiæ primùm Ioanne Voliminio, deinde Christophoro Radiuilo, qui in Lithuania Regi à poculis est, dimicandi studio Socolam excurrunt: sed quod hostis arce & munitionibus propè arcem extutis, aut propinquuo tormentis suis spacio in tuto se teneret, velitationibus tantum, nonnullis vtrinque desideratis, res gesta est. Vtramque arcem Rex occupata Polocia iustis copijs oppugnandam ratus, Nicolaum Mielecium Podoliæ Palatinum, cum equitatu Polonico stipendia merete, cumq; peditatu Polonorū, ac Germanorum

G E S T A R V M N A R R A T I O

norum cohortibus Socolam mouere, Vngarorum copias Turouliam accedere iubet: ipse quod nec ex re nec dignitate sua facturus videretur , si ad arcium istarum oppugnationes descenderet, motis trans Polociam castris, ijsque secundum flumen Dhunam metatis (quod pristinm castrorum locum, obsidioni quident opportunum cum ad cingendum maxima ex parte arcem, tum ad prompta munitionibus omnibus , ex quibus miles oppugnabat, auxilia afferendum , assidui imbræ iam ante iniquissimum, & valde quam coenosum efficerant) ad Polociam permanet, curatque quod ad arcem Polocensem, qua munitiones aut flamma conflagraret, aut tormentis verberatae vitium fecerant , instaurandum pertineret: simul etiam arci Palatinum praeficit Nicolaum Dorohostaiscum , in quem iam ante, Regno primum inito, non inani omni eius nomenque eius Magistratus contulerat: hunc ipse in possessionem mittit, praesidium iustum imponit, & quibus circum locis milles finibus tuendis recte collocetur constituit : templi etiam, quod monumentum diuinæ ad victoriam opis esset, ædificationem decernit. Interea dum quæ opus erant ad Socolæ & Turouliae oppugnationem expediuntur, & miles vasa colligit, visum est Palatino Vilnensi, de Turoulia leuioribus copijs experiri, & quid hostibus in recenti consternatione fiduciæ esset tentare:mittitur cum aliquo numero equitū expeditiorū armaturæ leuioris, quos Cosacos nominant, Constantinus Lucomscius Vlensis praefectus, quem Toroulienses praesidiarij conspicati , cum pauor maiorem quam pro numero militum speciem copiarum obiecisset, exercitum uniuersum adesse rati , per auersam portam se properè omnes ejiciunt , ac fuga euadunt Palatinis suis defertis, qui cum arcem sibi non deferendam putarent,

RERVM CAPTA POLOCIA

ac soli in ea permanerent, ad quartam Septembres diem cum arce & belli apparatu ac commeatu omni Regiam in potestatem peruererunt. Arci ita occupatę miles ille, qui cœperat, præsidio relinquitur: is dum inter ligneas munitiones ac domos tæda ædificatas indiligerter ignē habet, tormentisq[ue] maioribus gratulationis & læticiae causa iaculatur, temere incendio causam præbuit: quod sublatum paucis post diebus, quām capta esset, arcem deleuit, vt non minore celeritate, quām occupauerat, Turoliam miles amiserit: quod quidem hoc iniquiore animo à Rege acceptum est, quo præsidio hostili Susian etiam tum obtinenti, Turolia nostræ potestatis facta, omnem subsidij aditum & commeat⁹ accipiendi spem, certius eripere potuisset. Interea rerum Palatinus Podo-liæ Socolam (à qua Dunenses cohortes fama aduentantis exercitus permoti contra imperium Præfectorum, vt est genus illud militum leue & insolens disciplinæ, iam ante in Moscouiam redierant) cū copijs progredivit, & Dryssam flumen imbribus proximis admodum redundans, ponte subitario opere effecto, transmittit, hoste quod facere in proclivi erat, nihil repugnante, qui in aduersa ripa ociose tantum inequitans, inani metus faciendo studio, clare vt exaudiri à nostris facile possent, subinde inter se sciscitabantur, adessent apud sè Astracanorum, adessent Casanorum copiæ, quas alter adesse magna itidem voce respondebat. Flumine superato Palatinus nulla cum mora proprius hostem mouet. Quā accesserat inter vtrumque flumen, non ita magno ab arce interuallo sylua est, in qua maximam equitatus partem tendere iubet, peditatui imperat, vt munitiones, in quibus versarentur, & tormenta dirigerent, fossa atque aggere subitò efficiant: quas Poloni secundum Nissam, Cermani iuxta Drissam ita ad arcem perducunt, vt cùm iusto

G E S T A R V M N A R R A T I O.

iusto iam ab ea spacio abeſſent, transuersę ab Nissia Dryſſam, itidemque ab Dryſſa Nissiam versus promouerentur, atque opera vtriusq; nationis committerentur: ultra Nissiam amnem minorem, qua promptum hosti efugium patebat, Ioannes Zbarasius Palatinus Braslawensis consistere & curare iubetur. Munitionibus perfectis, ac tormentis, vt viſum erat, collocatis, cùm iam tū in vesperum dies vergeret, qui tormenta administrant, periclitari rem globis cudentibus instituunt, tribus tātum in hostiles ditiones perlatis, cùm alij alijs locis periculum incendij afferrent, & ijs reſtinguendis hostis detineretur, tertius eo loco, quo naſcens primum fumus, mox flamma ab hoste non facilē potuit deprehendi, vires cepit: ab hoc incendium ortum, cum magnam hostilium munitionum partem ſubitō complexum eſſet, hosti ſummam defenſionis desperationem attulit. Quo circa vt perditis trepidisque rebus, & flamma ſe iam longius latiusque fundente, pars magna hostium globo temerē factō, porta, quæ meridiem versus ad Nissiam vnā patebat, confertim erumpunt, quibus ex proximis munitionibus Poloni impigre occurrunt, & obſiftunt: perducitur eodem properē ſigno ſublato Germanorum ſclopetariorum cohors, ſic hostis in arcem flammamq; reiçitur, quem dum nostri magna vi premunt, ſe atque signa portæ arcique inferunt: dabat mox hostis intra arcem desperatis rebus magnas cùm armis tum verbis dedendi ſignificationes, quas cùm miles Germanicus Rusſicæ linguae nesciens, præterea Polocensis præfidij crudelitate, qua immaniflma in captiuos omnes ac potiffimum Germanos fuerant, irritati, minimē acciperet, cædemque accerrimē misceret, ille desperata ſalute totis viribus contrā dimicat, quæque ſupra portam custodiæ erant, cataractam è turri portæ imminentem in irrum-

R E R V M C A P T A P O L O C I A

pentes deiiciunt, sic nos stros receptu alios, alios aditu
subsilioque excludunt: atrox inde vtrinque pugna fuit,
æquata vtrorumq; desperatione ob incendij vim, quod
vndique se circumfuderat, ac pluribus locis dimicantes
inter se pari interitu vieti ac vincentis extinguebat. Ad
dexteram arcis partem per munitiones ostium fuit, ad
quod qui nostrorum errando perlati sunt, integri evase-
re. Interea foris milites, quanta vi maxima possunt cata-
ractam moliuntur, atque opere magno perfringunt, pa-
teta facta via, qui nostrorum supererant, saucij propè om-
nes atque ambusti, pariter cum hoste erumpunt, infe-
runt se integri alijs præda ex ipsa flamma rapiendæ causa.
Pars magna hostium aut in munitiones, aut stationes
Germanorum incidit, qui omnes per iram militarem &
linguae ignorantiam interfecti sunt: in his Borissus Sci-
nus, Andreas Palecius, Michaël Lycus, Basilius Criuo-
borscius Palatini cecidere. Quibus in Polonorum pot-
estatem peruenire contigit, plerique omnes, cum qui ali-
quo aut munere aut numero fuissent, pro se quisque
nomen ederet suum, facilè apud linguae intelligentes
seruati sunt, ac captiui habentur: quorum in numero Se-
remetus est, ut rerum gestarum fama, ita & corporis spe-
cie vultuque & animi sermonisque cultu cæteris præ-
stantior, & Mesoiadus Dunensium aliquot cohortium
Præfetus, qui post militum etiam suorum discessum,
cum cæteris præsidiarijs in arce permanerat: arx ipsa, cū
iam incendio occurri non posset, conflagravit. Hostium
ad quatuor millia cæsa, quos ex lectissimo, & quidem
prætoriano milite Magni Ducus fuisse, et si ex captiuis
cognitum est, tamen etiam ex ipsa corporum stratorum
forma & proceritate, animisque perditis in rebus adhi-
bitis, tum præda ratione potuit intelligi: in qua quidem
præda maior & pecuniæ, & vestis preciosæ, & aliorum
orna-

G E S T A R V M N A R R A T I O.

ornamentorum numerus fuit, quām vt gregarij militis
fuisse videri posset: captiuorum ea multitudo est , vt &
penes præfectos copiarum permulti sint, & Polonorū
militum propè sint nulli, qui in potestate non singulos
alij, alij plures habeant. Sussæ oppugnationem suscipere,
quām difficultem & spacioſi lacus, & palustria circum lo-
ca, & Autumni ipsius tempestas redditura erant, teme-
reque militem iam ante maximis incommodis affectū
nouis periculis obijcere, Regi visum non est, cùm potis-
simūm arcem eam penitus Lithuaniam versus sitam,
& ab omni suorum subsidio, & commeatus consequen-
di, potestate exclusam (vt vis nulla adhiberetur) sponte
dedituram seſe non dubitanter existimaret. Itaque præ-
ſidia, tantum militum stipendiariorum circumquaque
in statuis disponit, quæ Moscos ab aditu ad Sussanos ar-
cerent. Neque ſefellit ea Regem existimatio: Nam & ipſe
Moscouiæ Dux, diffidens Sussam amiffa Polocia retineri
posse, ſexta primūm, tum iterum decima septima Sep-
tembris die mandata ad Petrum Theodori F. Coliceum,
Palatinum Sussenſem, ac præſidiarios omnes dederat, vt
templi imaginibus & libris, omniq[ue] apparatu ſacro in
terra defoſſis, aut quacunque alia cura adhibita, ne in
hostium potestatem peruenirent, arcem incenderent,
bellica tormenta ac puluerem tormentorum omnem
igne delerent: tum operam, qua euadere poſſent,
diligenter darent, ac ſaluti ſuæ conſulerent. Hæc
mandata cùm (quò certius perferrentur) per plures
nuncios Sussam misifſet, nonnulli eorum in arcem
perueniunt, vnuſ à Regio milite interceptus, ad Pa-
latinum Podoliæ cum literis perducitur. Sub idip-
ſum tempus Palatinus Polocensis dat Sussa literas,
quibus ſignificat, ſe Polociæ cum parte exercitus, à
Regeijs cum mandatis relictum, vt quicquid ea in pro-

RFRVM CAPTA POLOCIA

uincia hostile supereret, modis omnibus tollere contenderet: Regem summa placabilitate & clementia Principem, quam sux voluntatis significationem dedisset, cum primum Magno Moscouitæ Duci bellum indiceret, ea in voluntate etiamnum permanere. eorum, qui Magno Duci parerent, hominum Christianorum cæde & sanguinis profusionem haudquaquā expetere, quin imò illi parcitum ac consultum velle, acceptas iuriarias in autore ipso Magno ipsorum Duce vindicandas statuere, nisi verò essent, qui istas iniurias suo discrimine propagnare vellent: quod vt illi ne suscipiant, illorum maximè referre: hortari se, arce sponte sua potius abscederent, impetrabili venia & salute, quām vim atque oppugnationem experirentur. Palatinus Podoliæ Mosci literis ad Sussanos lectis, mittit subito ad Palatinum Sussensem ac præsidiarios, qui dedi arcem postularent: illi salutem, & rerum, quæ cuiusque essent auferendarum potestatem, atque in Moscouiam tutò se referendi concessionem pacti, arcem cum omni bellico apparatu cōmeatuque Palatino Polocensi, militibusque à Palatino Podoliæ missis, sexta die Octobris dedunt. Iam ante Philo Kmita Capitaneus Orsanensis, cui aliquot turmæ equitum, & peditum stipendiariorum cohortes, erant in eam rem assignatae, coacta non mediocri finitimis in locis ex nobilitate alijsque incolis militum manu, in Mosci ditiones excurrit, magnamque omnia popularando vastitatem affert, ad duo millia pagorum incendit, & Smolensciæ suburbis ambustis, magnum ex eo agro hominum, magnum pecudum numerum agit, suosque nullo detrimento accepto intra fines reducit. Idem non multò post Constantinus Ostrogiaæ Dux, cum Michaële Vishniouecio Castellano Braslawiense, & filio Ianusio Boristhenem transgressus facit, expeditissimas quasque Tarta-

G E S T A R V M N A R R A T I O

Tartarorum aliorumque turmas præmittit, has longè lateque populari, & terrorem vastitatemque in hostico circumferre iubet, ipse cum reliquis copijs Czernihouiam progreditur, castrisque ad arcem metatis, oppugnationem suscipit, ipsaque ciuitate incendio deleta, vim omnem arcis expugnandæ adhibet: sed quod ea præsidio firmo, cui nihil ad omnem propugnandi apparatus deesset, teneretur, acerrimeque locum Mosci defendent, in castris paucæ peditum cohortes essent, afflcta maxinis tempestatum iniurijs, missa obsidione, vicina circuui loca omnia diripit, totaque Siuerensi ditione vastata, ac populationibus ad Starodubam, Radohostiam ac Podczepouiam usque per leuiores equitum turmas factis, præda ingenti acta discessit. Simili successu Mecislauiensis præfectus Iaroslauam oppidum pagosq; quam plurimos euertit. Rex posteaquam dierum quinquaginta spacio, Sex arcibus captis, ad quas Sussa non ita multo post Septima accessit, prouinciam omnem Polocensem mira agrorum fertilitate, magna fluminum opportunitate præditam, octauo decimo post anno, quam esset ab hoste occupata, bello Reipub. recuperasset, Polociam præsidijs, fines copijs firmasset, decima septima Septembbris die illo de loco discedit: Vehementi quidem studio ferebatur, ut coeptum foelicitatis cursum vrgeret, & cum magna hostes locis omnibus consternatio ingenique pauor teneret, longius arma sua in hostiles ditiones proferret: sed cum & præteriti temporis iniuriæ, (quibus miles admodum afflictus, equorum ingenus numerus enectus fuerat) & grauiores Autumni tempestates, indies ingrauescentes, isti voluntati & studio planè repugnarent, omni cura in comitia omnium Reipub. ordinum habenda incumbit: cumque iam ante ex castris de ea deliberatione literas ad Regni Senatores

RERVM CAPTA POLOCIA

dedisset, rediens in Lithuania, ea ad diem vigesimam secundam Nouembriis Varsauæ habitum iri edicit, in quibus consilia de bello diutius administrando suscipiantur. Dum Vilna Rex ad comitia proficiscitur, è Moscouia per nuncium Moscicum literæ afferuntur, à duabus Legatis Nouogrodiæ Duce Ioanne Theodori F. Mscislauensi, & Mikita Georgij F. Romanouicio Sacharino, ad Nicolaum Radiuillum Palatinum Vilnensem & Eustachium Volouicium Castellanum Trocensem, Plescouiæ die trigesima octaua Septembris scriptæ, hoc omnino argumento: Cùm offensæ duorum summorum Principum eò progressæ sint, vt arma vterque sumperit, quibus Poloniæ Rex Polociam expugnarit, Magnus Moscouiæ Dux vindicare vicissim id factum in animo habuerit: se cum reliqua nobilitate Moscouitica ad Principis sui pedes se abieciisse, obsecrasseque, vt sanguini Christiano consultum atque parcitum vellet. Iстis precibus Principem suum reliquisse locum, & belli expeditionem repressisse, nunc mutuo studio ipsis atque alijs Regis Polonlæ Consiliarijs, apud Regem suum elaborandum esse, vt ad similem voluntatem & sistendi cursus sui bellici, & pacis cum Magno Moscouiæ Duce locis omnibus, tam Regni Poloniæ, quam Magni Ducatus Lithuaniae, atque etiam Liuoniae causa suscipiendæ adducant, in primis verò ab eo impetrent, vt in Regiam suam se referat, ac copijs suis omnibus tam in Lithuaniae quam Liuoniae finibus imperet, se ab omni in Moscœ maleficio atque iniurijs abstineant. Hæc eadem Magnū suu m Ducem diligenter facturum, redditurum ad sedes suas, suosque à vi atque iniuria, cohibiturum. Interea temporis dandam vtrinque operam, vt Principes missis inter se Oratoribus rem utilem & per necessarium pacem ac concordiam suscipiant. In extremo literarum excusant,

G E S T A R V M N A R R A T I O

sant, cur Basilius Lopatinskius, quem Rex ad Magnum
Moscouiae Ducem ante expeditionem suam cum literis
miserat, quibus se bellum illi facturum iustum legitimumque
denunciabat, adhuc in Moscouia detineatur,
promittuntque, simul ut Principum sevterque ad sedes
suas retulerit, se operam datus, ut cum mandatis sui
Principis de pace concilianda ad Regem ocyus remit-
tatur. Sub idem tempus Philo Kmitha Orfacensis præ-
fectus ad Regem literas mittit, quas à Palatino Smolen-
sciano acceperat, ijs Philonem Palatinus certiorem fa-
cit, se à Magno suo Duce mandata accepisse, ne quam
Regijs finibus atque ditionibus vim aut iniuriam adfe-
rat. Monere igitur, ut mutua etiam Philo præstet, neque
permittat, ut sui fines transgressi, hostile aliquid in
Magni Ducis Moscouiae ditionibus commit-
tant. Allatis lectisq; vtrisq; literis Rex om-
nem eius deliberationem ad Co-
mitia referendam esse iu-
dicavit.

LECTO-

LECTORIS.

Subiungimus amicorum hor-
tatu & impulsu pauca qua-
dam de Magnorum Moscouia
ducum Genealogia, ex ipsorum
annalibus manuscriptis fideli-
ter excerpta. Fabulosa illa & nescio unde con-
ficta primordia, de Prusso & nepotibus, eò ten-
dunt omnino, ut nomen suum hisce coloribus
Moschus augustum reddat: tum vero ut quæ-
dam quasi iuris prætextū, in has quæ ad mare
Balticum sit & sunt Provincias, cum aliquando
ad maiores suos, qui nunquam tamē in rerum
natura fuere pertinuerit, absq; ullo fundamē-
to sibi adscribat. Alioquin venia dari posset
antiquitati, cū hoc ipsi cū multis alijs cōmune
sit, cumq; anno demum Christi 988. religionem
Christianam cum literis, ad similitudinem fe-
rè Græcorū effectis, Russi acceperint. Minuta
hæc amice lector boni consule, & vale. Coloniz
Vbiorum 6. Iduum Martij ipso die Aequino-
ctij Verni. Anno a recuperata salute 1580.

MAGNI

MAGNI MOSCO- VIAE DVCIS GEN EALOGIAE, BREVIS EPITOME, EX IPSORVM manuscriptis annalibus excerpta.



MNIBVS HOC GENTIBVS
semper ferè in vsu fuit, vt dum origi-
nis suæ incunabula repeterent, ea ad
autores eos, qui maxima inter homi-
mines autoritate floruerunt, quiq[ue]
humanum genus singulari aliquo be-
neficio affecerunt, referrent. Illud ve-
ro desiderium otnandi sui apud plerosq[ue] in tantum ex-
creuit, vt rerum verarum cognitione destituti, ad fabu-
las & figmenta sese conuerterint. Testantur id multarū
gentium diuersis temporibus conscripti annales. Sic
Græci vel ἀντόχθεντες, vel à Dijs se prognatos gloriabātur.
Romani conditoris sui parentem Martem esse, dicunt.
Præclarè itaque T. Liuius Patauinus, Quæ ante cōditam
condendātue urbem, inquit, poëticis magis decora fa-
bulis, quām in corruptis rerum gestarum monumentis
traduntur, ea nec affirmare, nec refellere in animo est:
datur hæc venia antiquitati, vt miscendo humana diuini-
nis, primordia vrbium augustiora faciat. Cùm enim an-
tiquitas ipsa ad nobilitatem generis plurimum momēti
habere credatur, de ea inter priuatos etiam homines o-
mnibus sēculis certatum est. Ideo Romani ciues generis
sui claritatem demonstrare volentes, maiorum suorum
insignia in parietibus longa serie depicta habebant: qui-

F bus

GENEALOGIA

bus elati, non raro eos, qui propria virtute ad honoris aliquod fastigium euecti erant, arroganter præ se contemnabant. Sic Poëtae herorum suorum originem, si ignoraretur, aut obscurior esset, plerumq; ad Deos ipsos retulerunt. Ita hoc nostro tempore, ut de aliis permultis taceam, Turcarum Imperator magna arrogatia ex Troiano sanguine sese propagatum iactitat. Hunc magnus quoq; Moscouiae Dux imitatus, generis sui primordia ad Romanos, Augustum nempe Cæsarem refert, eam videlicet ob causam, ut & sibi, & maioribus suis plurimum splendoris, & dignitatis accedat. Quamuis itaque nemo sit, qui non ista tanquam fabulosa rideat: breuibus tamen commemorare libet, quid hac de re in annalib. suis scriptum habeant.

Augusto (sit fides penes legentē) aliquot fuere vel fratres, vel agnati, qui prouinciis, quibusdā præfecti fuere. Ex hisce Prussus ad mare Balticum, & Vistulam fluuiū celebrem consedit, Prussiaeque nomen dedit. Huius nepotes ab ipso quarto gradu distantes fuere Rureck, Sinaus, & Truuor, qui iisdem in locis habitarunt. Cum itaque, tum temporis Rutheni, siue Moschi, absque imperio, spacious ad Septentrionem campos occuparent, suauis Gostomilij, cuius Nouogrodensis primarij, fratres hi, anno à mundo condito 6370. secundum supputationem Græcorum, qui fuit à Christo nato D. LXII. ad imperium accersiti sunt. Hi adiuncto sibi sobrino Olecho, regiones illas vastas inter se partiti, homines ferarum more, habitantes, ad aliquem humanitatis cultum traducere conati sunt.

Sinao & Truuoro absq; liberis mortuis, Rureck successit, & filium, Igor nomine, post se reliquit: qui cum per ætatem imperio nondum esset maturus, Olechum sobrinum tutorem habuit. Hic ex Olha, cuius Plescouiensis

MAGNI MOSCOVIÆ DVCIS.

uiensis filia, quæ tandem, marito ab hostibus cæso, Constantinopolim profecta, sacro Baptismatis lauacro abluta, & Helena dicta est, filium Stoslaum suscepit, qui multa cum vicinis bella gessit. Tandem verò ab hoste cæsus est, qui ex craneo ipsius poculum, cui hæc verba aureis literis inscripta fuere : DVM ALIENA SE-
Q VITVR, PERDIT SVA, fieri curauit. Filius reliquit Teropolchum, Olegam & Vvlodimirum. Hic fratribus à se extinctis, tota deinceps Russia, vel Rossie, vti Moschi proferunt, potitus est. Is tandem religionis Ethnicæ, & multitudinis Deorum pertæsus, ad religionem Christianam animum adiecit, & regum Constantinopolitanorum, Basilij & Constantini, sorore matrimonio sibi iuncta, cum tota gente sua, anno Christi D CCCC. LXXXVIII. salutari Baptismatis fonte inctus, Christianam religionem, cum Græcæ Ecclesiæ ritibus seu ceremoniis, suscepit, nomineque mutato, Basilius dictus est.

Narrat tamen Zonaras à Basilio Rege Constantinopolitano, ante Vvlodimiri tempora, Russis Episcopum missum esse, cuius opera ad religionem Christianam adducti sint. Addit, non potuisse permoueri, ni miraculum cernerent : Episcopum itaque, postquam preces aliquot recitasset, Euangeliorum codicem in ignem proiecerent, eumque illæsum permanisse. Hoc miraculo adductos, vt Christi dogmata pro veris haberent, iisque se addicerent.

Filiij Vvlodimiri fuere, Vviseslauus, Isoslaus, Suanopolcus, Borissus, Glebus, Stoslaus, Vvizeuolodus, Stanislaus, Sudislaus, Podius, qui ante pubertatem obiit. Inter reliquos tota Russia à patre diuisa est, qui ditionibus suis non contenti, dum alij alios inuaderent, multius plerique vulneribus conciderunt. Borissus & Gle-

GENEALOGIA

bus ob sanctitatis opinionem in diuorum numerum
relati sunt, quorum feriae nunc quotannis pridie Idū
Nouembris, magna festiuitate celebrantur.

Iaroslauus tandem solus principatum obtinuit, fi-
liosq; Vvlodimirum, Isoslauum, Vveceslauum, & Vvs-
zeuolodum reliquit.

Huius posterioris filius Vvlodimirus Kyouię ad Bo-
risthenem, vrbe auita, consedit, & post varias concerta-
tiones cum agnatis, cùm omnes prouincias sibi vicissim
subiecisset, *μονόμαχος* dictus est. Hic, libet enim ea referre,
quæ ipsorum habent manuscripti annales, regi Constan-
tinopolitano Constantino bellum mouit, cumq; Thra-
ciam depopulatus, magnaqué & opulenta præda onu-
stus, domum reuersus esset, & nouum bellum molire-
tur, Constantinus Metropolitam Ephesinum Neophy-
tum, atque duos Episcopos, præfectum item Antiochię,
atque Archimandritam Hierosolymitanum Eustaphiū
ad ipsum mittit, magnisque muneribus, vtpote parte de
Christi Saluatoris cruce, diademate aureo, poculo ex
Sardonyche lapide fabrefacto, humerali multis gemmis
eximio, atque torque aureo, ipsum affecit, Zari nomine,
quod si propriè interpreteris, regem significat, non Cæ-
sarem, vti multis ostendi posset, ipsum salutare iussit, &
firmissimum fœderis, atq; amicitiae vinculum cum ipso
fanxit.

Ex Vvlodimiro natus est Vvszeuolodus secundus.
Hic octo reliquit filios, Mscislauū, Isoslauum, Stoslauū,
Teropolcum, Vveceslauum, Romanum, Georgium,
Andream. Georgij filij fuere Roseflauus, Andreas, Ba-
silius, Demetrius.

Ex hoc ultimo prognatus fuit Georgius, qui anno
Christi M. CC. XXXVII. à Bato Tatarorum duce, qui
Moscouiam vastatam, in potestatem suam redegerat,
casus

MAGNI MOSCOVIÆ DVCIS.

cæsus est. Ex quo tempore Rutheni Tataris tributarij fuere, atque ex ipsorum arbitrio duces sibi constituere. Ea verò potentia tantopere Tatari abusi sunt, vt cum legatos suos ad Moscouiæ principem mitterent, is ipsi obuiam prodire, & patenam equino lacte plenam, vti Herbortus Fulstinius in suo historiæ Polonicae compendio refert, exhibendam offerre, & si quid in iubam equi deflueret, illud lambendo sorbere: in regiam verò introductos, nudato capite, sedentibus astans, atque omni honore afficiens, audire cogeretur. Qua verò ratione hoc tandem iugum excusserint, infrà dicetur.

Eodem tempore tota ferè Polonia, atque ipsa etiam Silesia à Tataris, incendiis, & direptionibus vastata fuit. Vvratislauia Silesiæ metropoli incensa, cùm ad Legnicium urbem aduenissent, grauissimum ibidem prælium commissum est, in quo dux ipse Henricus, diuæ Hedwigis sanctissimæ foeminæ filius, cum aliis permultis, quorum sepulchra adhuc multis in locis conspicuntur, atque gregariorum militum infinita multitudine cæsus est, vt auriculis hostes, quas imperfectis abscederant, nouem ingentes saccos impleuerint. Ad victoriam obtinendam, Tataro, capit is humani simulachrum, vexillo, in quo litera X depicta fuerat, arte Magica impositum, quod commotum turpissimum fœtorem exhalauerat, nostris obuiam gestarunt, ijsque tantum terrorem excusserunt, vt veluti capite Medusæ perterriti, imbellies extiterint.

Exinde Bathus, cum suis in Vngariam eodem animo se contulit, & Belam regem, eius nominis quartum, ad internacionem ferè deleuit, qui fuga cum filio elapsus, manus hostis vix effugit. Cùm totus ferè orbis, ob hanc ferociissimæ gentis irruptionem, in maximum terrorem coniectus esset, tandem Innocentius IV. sum-

G E N E A L O G I A

mus Pontifex, missa ad Bathum legatione, pacem quinquennalem impetravit: ut verò relictis superstitionibus Ethnicis, Christo nomen daret, persuaderi ipsi nō potuit. Mahometi enim dogmata, vt pote feritati suæ barbaricę magis arridentia, Saracenorū impulsu amplexus est, quæ in hunc usque diem Tatari, cum Turcarum colluie cōmunia habent.

Filium habuit Tamerlanem, quē Moscouitæ Temir-kutla appellant, qui & ipse, ut ex historiis patet, magnā nominis claritatē adeptus est. Baizetem. n. Turcarum Imperatorem, catenis aureis vincitum, in cauea circumduxit, atque omnibus hominibus ludibrio exposuit.

Ad Ruthenica reuertamur. Cæso Georgio, Iaroslauſ frater successit, relictis ex se natis Theodoro, Alexandro, & Andrea. Alexandri filius Daniel primus sedem suam in urbem Moscouiam transtulit, & arce huic usque obscura magnificè extructa, titulum sibi Magni Moscouiae ducis usurpauit. Filios habuit Georgium, Alexandrum, Borissum, Ophoniā, & Ioannem. Hic patri successit, & quod assidue ad erogandas eleemosynas, peram secū gestaret, Kaleta (id.n. vult vocabuli interpretatio) dictus est. Huīus filij fuere Simeon, Ioannes, Andreas. Simeoni pater Vvlodimiriam, & Moscouiam assignauit: cui absq; liberi mortuo successit Ioannes frater, qui filiū habuit Demetriū, ex quo nati sunt Daniel, Basilius, Georgius, Andreas, Petrus, Ioannes, Constantinus. Basilius post patrē imperauit. Hic filio suo, eiusdem nominis, ob matrem, de qua suspicionem adulterij conceperat, prēterito, moriens, fratri Georgio gubernacula tradidit, qui nepotem diu in vinculis detinuit. Moriens tamen, quamuis duos haberet filios Andream, & Demetrium, conscientia forte permotus, Basilio nepoti imperium tradidit. Cui patrueles odio incitati, bellum mouent, & tandem astuto stra-

MAGNI MOSCOVIAE DVCIS.

stragemate deprehensum exoculant. Nihilominus Boia-
rones (ita Moscouitē nobiles appellāt) cęco duci suo, quē
Cziemnox, id est, tenebrosū, ob cęcitatē appellabāt,
fidem prēstant. Filium reliquit Ioannem Basiliden, qui
reb. Ruthenicis obscuris adhuc magnam claritatē attu-
lit. Quid, vt eō commodiū assēqui posset, superiorum
ducum filios & nepotes, quos potuit ē medio sustulit, &
titulum Magni Ducis Vvlodimirię, Moscouię, & Nouo-
gardię sibi usurpare, seq; Monarcham (seu Czarum) to-
tius Russiæ appellare cœpir. Vrbes duas primarias, Ple-
couiam, quæ sola in tota Moscouia muro cincta est, &
Nouogardiam, ob mercimonia ditissimas & amplissi-
mas, cūm Lithuanis 50. circiter annos paruissent, in fer-
uitutem redegit. Tantæ fuere Nouogardenium opes,
vt trecentos currus, auro & argento onustos, inde abdu-
xisse dicatur.

Primus quoq; hic Polonis & Liuoniis bellum mouit:
Polonis quidē co prētextu, quòd filiam suam Helenam,
quā Alexandro Magno Lithuaniae duci, postea verò Po-
loniae regi, in matrimonium collocarat, malè haberi, &
à religione Græca, ad Romanæ Ecclesiæ ceremonias ab-
ductam diceret. Liuoniis verò non aliā ob causam, quā
quod incredibili cupiditate, dilatādi imperij sui arderet.
Quæ verò causæ impulsuæ, & nullius ferè momenti in-
tercesserint, fortasse alio loco pluribus cōmemorabitur.
Aliquoties tamen insignib. prēliis à Plettebergio militę
Teutonicę magistro profligatus est, quæ pluribus addu-
cere, alienum fortè à propositi instituto fuerit.

Matrimonium primò contraxit cum Maria, Duci
Tyuerensis filia, ex qua filium Ioānem suscepit, cui viuus
adhuc imperium tradidit, eiq; Stephani Moldauiae Pal-
tini filiam despōndit: Ex qua, postquam filium Deme-
trium suscepisset, ante patrem Ioannes obiit.

Alteram

G E N E A L O G I A

Alteram deinde vxorem duxit Sophiam, Thomæ Palæologi filiam, quę ex ærario summi Pontificis dotata dicitur, quod Vrsā cùm Romana Ecclesia consensionē initurum, Moseus promisisset. Cum Sophia excellenti animo prædita esset, & quod Tatatorum seruo nupsisset, sèpius conqueretur, tandem ipsius suasu, & assiduis cohortationibus, iugum illud, tanto Principe profectō indignum, mira arte excusſit. Cùm enim Tatarorum dux in aula Moscouitica suos quosdā procuratores haberet, qui ædes suas, hanc ad rem, in ipfa arce exstructas inhabitabant, & omnium, quæ ibidē gerebantur, spectatores erant: Sophia diuinitus sese admonitam, dicit: Ut eo in loco, in quo Tatarorum domus erat, templum extuleret, illudque Diuo Nicolao consecraret. Filium itaque enixa, ducem ipsorum ad baptismi solennitatem inuitat, & vti ædes has sibi donare velit, petit, idq; ue obtinet. Quibus amotis, & corycæis istis exclusis, Scythæ tādem suo, quem in Ruthenos multos annos obtinuerāt, dominatu exuti sunt, eumq; recuperare, quamuis non semel tentarint, nunquam potuerunt. Ex coniuge Sophia senos suscepit liberos. Filiam vnā Helenam: & mares quinq; Gabrielem, Demetrium, Georgium, Simeonem, & Andream.

Demetrio Ioannis, quem Basilides ex primo matrimonio suscepérat filio imperium debebatur. Verum Sophia apud coniugem obtinuit, vt nepote posthabito pater Gabrieli filio gubernacula traderet.

Andreas minor natu, filium habuit Vvločimirum, ex quo nata est Maria, quæ anno Christi M.D. LXXIII. Magno Holsatiæ Duci in matrimonium collocata est.

Gabriel imperium adeptus, nomine mutato, Basiliūm se appellauit, & ad res magnas animum adiecit. Magnam enim partem ditionis Moscouiticæ, quam Vitoldus

MAGNI MOSCOVIÆ DVCIS.

toldus Magnus Lithuaniae Dux sibi adiecerat, in potestate suam redegit, & multis urbibus ad Boristhenem (quem Rutheni Niepr appellant) & præcipue Smolenscio anno Christi 1514. potitus est. Prima uxore ob sterilitatem repudiata, ex Helena Ducis Glinsej filia Ioannem, qui nunc rerum potitur, suscepit, qui anno Christi 1528. die 25. Augusti, hora ab exortu Solis sexta in hanc lucem editus est. Huic ergo Ioanni Basilidi, anno ætatis quinto, adhibito tute Georgio gubernacula tradita sunt, Cusanenses atque Astracanos Tartaros ad Volgam fluuium, annos viginti quinque natus, robore iam corporis atque animi sumpto ducibus ipsorum in seruitutem abductis, sibi subiecit.

Quibus rationibus bello Liuonico redintegrato ex piratis, ut inducijs quæ intercedente Sacratiss. Romanorum Imperat. anno 1503. ad annos ferè quinquaginta factæ fuerant, florentissimæ Prouinciarum extremam vastatem intulerit, nouo ad eam rem prætextu, eam ad se iure nescio quo hereditario pertinere, usus, dicere animus meminisse horret, & integras narrationes requirit, quod fortasse suo loco doctioribus curæ erit.

Pietati & rebus diuinis addictissimus est, & iciunia plerunque cum monachis strictè admodum obseruat, cumque singularem Deo cultum præstituri, terram fratre Russi percutiant, eam plerunque tuberibus plenam, saepe etiam sanguinolentam atque liuidam habet. Sacris ædibus extruendis mirum in modum intentus est, & nullis sumptibus parcit. Vtrum itaque vel natura, vel subditorum malitia atque perfidia, quod prætendit, ad omnem crudelitatem promisit, dicere vix ausim, cum præsertim faciem illiberalem, aut immane aliiquid præ se ferentem, qualis Attilæ fuisse dicitur, non habeat. Ex uxore prima Mikitæ Romanouicij, qui nunc curiæ ma-

G E N E A L O G I A

gister est, sorore filios duos Ioannem & Theodorum suscepit. Ex quibus primogenitus patri secundum gentis leges in imperio succedet. Minor natu ditiones aliquæ assignabuntur. Quamuis matrimonium post primum quater repetierit: nulla tamen prole auctus est.

Cum Ioannes hic Basilides hæreditarium sese Liuニア Dominum, rationibus quibusdam friuolis adductis appellat, yisum est subiçere epistolam, in hoc ipso negotio, à viro quodam amplissimo scriptam.

S. Omnes nos qui Prouinciam hanc incolimus Sacratissimæ Maiestati Cæsariæ, Domino nostro Clementissimo, ea qua decet reuerentia, summa animi demissione gratias agimus, quod pro paterno animo, quo erga totam Rempub. Christianam affecta est, & vt dilaceratae & afflictæ regionis huius, quæ longo tempore ab incursione barbararum gentium propugnaculi instar fuit, commodis consulteretur, Legatos suos ad Magnum Moscouニア Ducem ablegarit. Pro qua paterna erga nos voluntate & beneficio, vitam & fortunas nostras, quandocumque opus fuerit, profundere parati sumus: Deum interea precantes, qui solus imperia stabilit & transfert, vt hoc salutare opus, cuius fundamenta nunc iacta sunt, ad optatum finem perducat. Quod verò ad ius illud, quod Moscus in hanc sibi prouinciam vendicat, attinet, vt verum fateamur, cum stupore, & admiratione summa ea intelleximus. Non solum enim ex omnibus veteribus, & fide dignis historijs certissimum est, sed ipsa quoque experientia & status harum regionum hæc omnia fabulosa esse, & nescio ynde conficta, abundè testantur. Ex omnibus enim monumentis, quocunque sanè nomine appellantur, quæ tamen non pauca apud nos extant, ne vestigium quidem minimum appareat, imò ne coniectura quidem ylla haberi potest, ea quæ Moscus de ijs populis,

MAGNI MOSCOVIE DVCIS.

pulis, qui huic regioni aliquando præfuerint, & quod ad maiores suos, iure quopiam pertinuerit, profert, veritatis fundamento niti.

Qua enim ratione hæc ipsa prouincia industria mercatorum, ope nauigationis primum aperta sit: quo deinceps modo incolæ Ethnicis superstitionibus, & cultibus idololatricis dediti, à fratribus ordinis Cruciferorū qui & socios suos, in Prussia eundem ordinem profitentes, in auxilium vocarunt, ad fidem Christianam conuersi, & non absque multo labore eò traducti sint, non ignotum est: cum eo tempore Liuones, iurisdictionis, religionis, morum, linguae denique Moscouiticæ, ne minimam quidem notitiam haberent: quibus non solum cum hisce, sed ne alijs quidem gentibus, quicquam cōmune fuit: Misera[m] enim, inopem, barbarem, atque Ethnicam vitam, in syluarum latebris, cum beluis beluarum instar degentes, neque Dei, neque magistratus alicuius, cognitionem ullam assecuti sunt. Hoc solum modo ip[s]is peculiare fuit, vt qui vnius essent familiae & societatis, seniores suos quos habebant præ alijs reuererētur, quos deinde vt maior esset ipsorum auctoritas, regum nomine appellarunt, atque ijs quamvis vltra centenarium numerum cum familia excreuissent, morem in omnibus gesserunt, seruitiaque sua more rusticō, & barbaro præstiterunt. Eo ipso tempore Moscouitæ vt ex historijs patet, religioni Græcæ, quæ est ad solem Orientem, & Ceremonijs Ecclesiasticis iam fuere dediti, quas in omnes Prouincias imperio suo subiectas propagabant, suisque eam ad rem characteribus vtebantur. De quibus omnibus, qui loca hæc inter Ruthenos, Lithuanos, Samogitas, Prussos, & mare Balthicum, in Magna barbarie incolebāt, ne auditione quidem quicquam acceperant. Accedit, hoc quoque, quod nullo vñquam tempore, ne-

G E N E A L O G I A

que in terræ visceribus, neque alijs locis, minima antiquitatis, aut literarum Ruthenicarum, monumenta reperta sint: quod profecto fieri non potuisse, si Moscouitæ, Rutheni aut aliæ gentes, quæ rebus hisce vtuntur, imperium in has quas diximus, obtinuissent, quin vel in religione & cultu diuino, vel etiam iuribus, consuetudinibus, moribus, lingua, aut literis, vestigia aliqua remansissent. Hoc quidem non negamus, inter gentes hasce Liuonicas, permultas sanè, & eas quidem diuersas fuisse linguas, vti & hoc ipso tempore eadem est ratio. Ex tamen omnes, nec cum Moscouitica, nec cum aliarum nationum linguis, quicquam affinitatis habent. Quod verò Moscus prætendit, sibi & maioribus suis, pensionē seu tributum ex hac tota prouincia numerari solitum, eadem firmitate, vti præmissa nititur.

Sub initium huius funesti belli, Moscus vt tyrannidem, & dominandi cupiditatem prætextu aliquo excusaret, inter alia postulata, tributi quoque, quod ex ditione antistitis Dorpatensis sibi deberetur, cuius tamen ipse neque definitionem afferre, neque certi aliquid affirmare potuit, mentionem fecit, sed nemo hominum inuentus est, qui vlo tempore Mosco eiufinodi tributum persolutum fuisse, vel meminisset, vel aliunde intellexisset. Cùm itaque is totum hoc negotium, ad ordinis Liuonici magistrum reijceret, vtque hac de re ex Dorpatensis cognosceret, iuberet, & tributū vrgeret, quod se non remissurum dicebat, etiam si vnico fâtem capitulo estimari posset: Tandem in Dorpatensium annalibus inuentum est, ante hominum memoriam, cùm ditio Plescouiensis nihil aliud quam syluas & lustra ferarum haberet, rusticos ex Dorpatensium districta, Neuhusiano, cum consensu vicinorum Ruthenorum, aluearia in syluis habuisse, & à singulis quotannis sex solidos Liuonicos

MAGNI MOSCOVIAE DVCIS.

nicos præfectis ipsorum persoluisse. Cùm vero syluae à Ruthenis excinderentur, & pagi extruerentur, pensio quoque ista, vñà cum ipsis arboribus excisis, cessauit. Hi itaque sex solidi neque vñquam à Ruthenis petiti, neq; à Liuonibus persoluti fuerunt. Hic enim tyrannus, qui nunc rerum potitur, id quod neque à patre, auo, aut yl-lis antecessoribus factum esse certum est, primus sibi hoc excogitauit, parum de eo, iure an iniuria id fiat, sollicitus, Deus autem, qui res arcanae perspicit, & cui tyrannis eiusmodi, & dominandi immoderata cupiditas minimè probatur, huius iniuria suo tempore vindex erit: & qui sanæ mentis sunt homines, hinc facilè deprehendent, hæc omnia in eum tendere finem, vt hoc conficto & temerario prætextu imperium suum dilatet: & postquam hanc prouinciam sub imperium suum rede-
gerit, transmaritimas, quoque regiones adoriatur
& inuadat. Hæc quæ de causa belli Liuonici ha-
bui, tibi communicare volui. Datæ die

22. Maij. Anno à restituta salu-

te 1576.

